



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

74. An Pontifex possit dare facultatem, ut Diaconus alium Diaconum, vel  
saltem Subdiaconum ordinet? Ex p. 8. tr. 1. res. 38.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](#)

## 94. Tract. I. De Potestate Pontificis

2. Probatur *primo* ex Eugenio V. in suo Decreto ait: Ordinarius minister huius Sacramenti (nempe Ordinis) est Episcopus, quia eo iudicat, non Episcopum posse ex commissione esse minister. Sacramenti Ordinis, ac proinde omnium dictarum ordinationum, quia omnes sunt Sacraenta, & non est major ratio vnius, quam alterius. Et quamvis ordinatio Episcopi sit Sacramenta, tamen nequit esse minister principalior illius; & ob discrimen inter ordinationem Episcopi, & inter ordinationem reliquorum ministeriorum: quia Episcopus est superior omnibus aliis ministeriis, & indecens est, quod ab inferiori beneficiatur & consecratur, tanquam a principaliori ministro, & ob id creditur ex Christi institutione ordinationem Episcopi non posse committi non Episcopo, tanquam principaliori ministro.

3. Probatur *secundo* ex facto Ecclesie: nam Concilium Antiochenum can. 10. postquam concessit Chorerepiscopis, ut ordinarent Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, additum Concilium haec verba: Neque Presbyterum verò, neque Diaconum audiant ordinare (ut habet tertia quædam translatio) præter conscientiam Episcopi: ergo à contrario sensu, sciente, & consentiente Episcopo, bene possunt istos Ordines conferre: illi autem Chorerepiscopis, probabile est, quod non fuerint Episcopi. Ita sententiam aliqui recentiores cum Ayala de traditionibus Ecclesiasticis 3. part. consider. 4. Probatur *primo* ex Ioanne 11. 1. epif. univ. in medio in 2. tom. Concilior. vbi ait: Chorerepiscopos veros Episcopos non fuissent quod ab uno tantum ordinati essent; & Damascenus epif. 4. idem defendit, dum dicit eos non esse Episcopos, quia minus, quam à tribus sunt ordinati; & can. 10. Concil. Antioch. quod oppositum indicat, dum ait: De Chorerepiscopis, quamvis manuus impositionem Episcoporum percepient, & ut Episcopi consecrati sint, responder Vazquez disp. 2. 3. c. vii. vbi de hoc latè disputat, per illa verba, & ut Episcopi sint consecratis, potius denotari non fuissent veros Episcopos, quia particula or. diminuit.

4. *Notandum* est tamen h. c. quod licet commissio huius ministerij Sacerdoti non Episcopo fieri ab homine, scilicet statuto Ecclesie, aut Summi Pontificis voluntate, tamen potestate committendi hoc ministerium iure diuino Pontifici Summo, & Ecclesiae convenire, sicut etiam de potestate committendi ministerium Confirmationis dici solet: nam circa materiam, formam, & ministerium Sacramentorum, nihil potest Ecclesia mutare, aut statuere, nisi diuino iure id ei commissum sit. Hæc autem potestas non alio modo colligi potest, quam ex ipso facto Ecclesie, quæ diuino Spiritu ducitur.

### R E S O L . LXXIII.

*An Summus Pontifex ante consecrationem possit concedere simplici Sacerdoti, ut conferas minores, & maiores Ordines?*  
Sed notatur, quod licet Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis sit Episcopus ex commissione tamen Pontificis potest esse simplex Sacerdos. Ex part. 8. tract. 1. Refol. 37.

§. 1. R espondeo affirmativè cum Joanne Præposito in 3. part. quest. unica, de sacram. Ordin. dub. 13. num. 122. vbi sic ait: Omnino ergo verius est simplicem Sacerdotem posse ex concessione Pontificis, non solum minores, sed & maiores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum conferre, etiam in ratione Sacramenti. Quam potestatem potest concedere Pontifex etiam nondum consecratus

in Episcopum, quia hæc auctoritas non conuenit Pontifici ratione consecrationis Episcopalis, sed ratione summae iurisdictionis, quam habet in Ecclesiam, quam supremam potestatem obtinet posita legitima electione etiam ante consecrationem Episcopalem. Ita ille.

2. *Notandum* est tamen h. c. obiter, quod sicut probatum est, minister ordinarius sacramenti Ordinis est Episcopus; & tamen ex commissione Summi Pontificis potest esse simplex Sacerdos. Sic etiam, licet minister ordinarius sacramenti Confirmationis sit Episcopus, ex commissione Pontificis, potest esse eum simplex Sacerdos. Probatur, quia, ut observat Granadus in 3. part. confr. 5. trac. 2. disp. 1. n. 1. Concilium Florentinum in decreto Eugenii, disertè testatur re ipsa ita factum fuisse. Et sine dubio, id non reprobatur, sed approbat: quod autem factum fuerit, constat ex Gregorio Papa lib. 3. registri, epif. 26. qui, cum prohibuerit confirmationem exhiberi a simplici Sacerdote, & inde in Sardinia scandalum, aut potius tristitia orietur, sic eos confortatus est: Nos quidem secundum usum veterem Ecclesie nostræ fecimus, sed si omnino hæc de re aliqui contristantur, vbi Episcopi defunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Christiane tangere debant, concedimus. Vbi disertè Summus Pontifex non solum permittit, sed etiam concedit à Presbyteris in casu necessitatibus, Confirmationis sacramentum ministriari: nec dici vlla ratione potest, tamen Pontificem in re tanti momenti errasse, & sine sufficiente ratione declarasse, id licere in predicto evenitu. Et ita etiam Gregorius XIII. concessit hoc Patribus Societatis pro India, ut tradit Præpositus in 3. part. quest. 72. art. 11. dub. 2. num. 49. Sed de hac questione alibi fusiùs.

### R E S O L . LXXIV.

*An Pontifex possit dare licentiam, & facultatem ut Diaconus alium Diaconum, vel sicutem Subdiaconum ordinet? Ex part. 8. tract. 1. Resol. 38.*

§. 1. N egat è respondet Sylvester verb. Ordo 3. g. 7. Victoria in Summa 233. & D. Thom. in 3. part. quest. 38. art. 1. ad 3. Sed contrarium tenuit glossa in cap. q. 10. de consuetud. Probatur: quia eti, qui alium ordinat, & illum ad Ecclesiasticum Ordinem eleuat, eundem habeat dignitate superare; tamen etiam Diaconus Subdiaconum dignitate antecellit, & Subdiaconus alios in minoribus Ordinibus bus constitutos: ergo. Deinde Diaconus, ut à Papa ad tale officium delegatus, est alio Diacono superior, licet in eodem Ordine conuenienter; non enim ex vi sui Ordinis, sed ex potestate sibi commissa tale munus exercet. Accedit ex Pontificis priuilegio unum Episcopum posse ab alio solo consecrari, licet ex diuina institutione ad eius consecrationem tres Episcopi requirantur: cur ergo non poterit unus Presbyter ab alio, vel unus Diaconus, ab alio, ab Pontificis mandato, & facultatis plenitudine creari?

Et ideo ego hanc sententiam iudicio, & censuræ ipsius Summi Pontificis remitto.

### R E S O L . LXXV.

*An Pontifex possit dispensare, ut sacerdos prima Tonfuram, vel minoribus Ordinibus initietur?*  
*Et an sacerdos iure Diuino sit incapax Sacramenti Ordinis?*

Et